

THESES
DISPUTATIONIS MEDICÆ ORDINARIAE
De
F L V X V H A M O R -
R H O I D U M S E C U N -
D U M N A T U R A M ,

Quam
DEO OPT. MAX. SECUNDANTE


&
COLLEGII MEDICI CONSV-
TUDINE EXIGENTE

ad d. 18. Junij, anni currentis 1612. ha-
biturus est

M A V R I C I V S S C H R Ö T E R
Ph. & Med. D.

Respondente

M. F R A N C I S C O K E S T
Med. Candidato.



Lipstæ, ubi imprimebat
M I C H A E L L A N T Z E N B E R G E R .



QUÆSTIO.

U.

*Cum Galenus nonnullis in locis (v. g. 3. de Sympt. cauff. 2. in l. Hipp. de alim. comm. 3. text. 17.) omnes sanguinis evacuationes, solâ mulierum menstruâ per uterum exceptâ, toto genere præter naturam esse dicat,
Fluxus hæmorrhoidum proinde semper pro Symptomatico habendus & inhibendus, an verò interdum sinendus & juvandus sit?*

T H E S S.

- I. **S**anguinem necessarium naturæ thesaurum & tale vitæ nostræ fundatum, sine quo ea nec momentum subsistere possit, esse, & nos ultrò concedimus, & fatis superq; id docent tum ratio tum experientia, duo medici ceu crura.
- II. Evacuari nihilominus nonnunquam aliquid hujus etiam citra artis subsidium cum usu individui sani & secundùm naturam vel mulieribus è fluore suo menstruo notum est.
- III. Haud tamen hoc concessum evacuationi sanguinis citra artis opem contingent omni, sed datur insuper, quæ cum noxâ individui ac præter naturam contingit, quam symptomaticam dixeré.
- IV. Ad utram harum specierum fluxus venarum, hæmorrhoidum vocatarum, pertineat, Nunne semper præter

prætet naturam , an aliquando adhuc secundūm natu-
ram contingat ? haud extra dubitationis aleam est o-
mnibus , occasionem dubitationi huic præsertim præ-
bente Galeno in locis citatis. Nos, quod non tantūm
præter sed & secundūm naturam quandoque sit, adeo-
que & mitti & juvari debeat, statuimus, ac, D e o juvan-
te, defendemns.

V. Utque, quis fluxus hæmorrhoidum nobis secun-
dūm naturam esse credatur, apertè constet , ideam seu
naturam hujus quām commodissimē fieri potuit descri-
ptam, sine ambagibus ulterioribus producemus.

VI. Est itaq; nobis Fluxus hæmorrhoidum secundūm
naturam se habens *Excretio, spontanea, moderata, sanguinis*
tum quantitate tum qualitate molesti, per ramos tām venae ca-
væ quām venæ portæ in anum desinentes reseratosq;, *citra ad-*
misionem facum alvi, statis periodis & salutariter quibusdam
hominibus sanis ac calidioribus, in utroq; sexu, ut plurimum de-
mum etate declinante, contingens.

VII. Hæc descriptio ut reddatut illustrior, age singu-
la membra seorsim minutatimque excutiamus.

VIII. *Excretionem spontaneam* cum dicimus natura-
lem esse mox innuimus, (nihil enim interest spontane-
am dicas, an naturalem 4. *de diff. puls. s.*) & simul eum
hæmorrhoidum fluxum, qui ab arte, naturam imitante,
quandoque excitatur, separamus. (Spontè enim è cor-
pore evacuari dicuntur, quæcunque sine aliquâ Medici
operâ excernuntur , 4. *Aph. 2. in comm.*) Et fortè hic re-
stius subductio aut subtractio quām excretio nuncupa-
retur, non ipsâ naturâ tunc motus principium præstan-
te & excernente , sed Medico artis suæ instrumentis,
quod morbos vel fovere vel minari deprehendit, sub-
ducente aut subtrahente.

A 2 IX. Mo-

I X. *Moderata* cum vocatur inter opus naturæ & symptoma, h. e. fluxum nimium, qui præter naturam, distinguitur, quod diligenter attendendum esse Galenus c. ult. l. de diff. *symp.* præclarè monet. Quæ enim aliàs toto genere præter naturam sunt, tamen præter naturam adhuc non sunt, si tempestivè fiant. Fiunt autem tempestivè, cum id, quod contristat, expellitur, inquit idem ibidem. Et c. 2. l. de diff. *morborum* dicitur id, quod naturale existit, esse moderatum, non in animali solum, sed & in plantis & seminibus & omni organo, quod verò præter naturam, esse immoderatum.

X. Est porrò modus excretionis hujus haudquaquam ita arctis limitibus circumscriptus, quemadmodum fluor sanguinis menstruus in mulieribus ab Hippocrate duarum hæminarum Atticarum mensurâ, sed tandiu moderata dicitur, quandiu vires bene ferunt. Oportet eniùm eâ corpus levari, non infirmari, vires recreari, non dissolvi. Viribus labescentibus tum demum naturæ modum excedere deprehenditur.

XI. Per *sanguinem* materia ejus denotatur. Sanguis enim, quo partes corporis pro sui nutritione aut non indigerunt, ob redundantiam, aut uti nequiverunt, ob malitiam, is spacio certo collectus naturæ venarum gravis esse incipit. Quare hæ apertis osculis suis hunc tandem facultate naturali sibi insitâ utentes foras excernunt. 6. Aphor. 12. in comm. 6. Epidem. com. 5. text. 25. l. de at. bil. c. 4. l. de artic. com. 4. text. 40. l. 1. ad Glauc. c. 10. l. de consu. c. ult.

XII. Cum copia saltem peccat, floridior & purior, cum qualitate, obscurior & impurior prodit. Ferè enim hoc posteriore casu prædominatur in hâc excretione succus melancholicus (quem latâ vocis significatione etiam

etiam atram bilem vocatum invenias) talem habens in sanguine consistentiam, qualis est in vinis fæx. 6. Aph. 11. in comm. 6. epid. comm. 5. text. 25. l. de humor. comm. 3. t. 26. Quâ de causâ & plurimi medicorum hujus ut maximè, imò aliqui tantùm, meminere. Non, quod non ab aliis etiam humoribus sanguini permistis interdum fieri possit: sed, quod hoc rarius sit, illud frequentius: aut potius, quod cæteri humores id faciant mediatè, dum nempe adustione priùs in melancholiā transiunt, melancholia autem immediate.

XIII. *Rami, tamen venæ cavæ, quam venæ portæ, viæ sunt,* per quas fluxus hic contingit; quæ ut manifestiores redundantur, sciendum Primò: Venæ cavæ descendantis truncum circa ossis sacri initium & ilia in duos prægrandes distribui ramos, Iliacos dictos, à quorum utroque, præter alias propagines, scaturit & Hypogastrica vocata, quod omnium amplissima omnes ferè partes in hypogastro contentas alat. Hæc ad intestini recti extrema furculos quosdam mittit, quos hæmorrhoidas externas dixere. Secundo: Venæ portæ truncum, statim ferè, ut ab hepate prosiliit, etiam in duos insignes ramos findi, quorum alter Splenicus, alter Mesentericus dicitur, & Mesentericum rursus tres præcipuos de se diffundere rivos, è quibus primus, qui descendendo occurrit, Hæmorrhoidalis vocatus (sæpè tamen & à Splenico ortus) per coli extrema & recti intestini longitudinem ad anum usq; prorepit, quem exilibus propaginibus, quas hæmorrhoidas internas vocant, orbiculatim amplectitur.

XIV. Excernunt autem hæ distinctæ hæmorrhoides & sanguinem distinctum. Illæ, quæ à venâ cavâ ut plurimùm purum ac copiâ saltem peccantem, unde & ple-

A 3 thoræ

thoræ depletrices : Quæ verò à venâ portâ ut plurimùm impurum & qualitate vitiosum : Quapropter cacochymia vacuatrices appellantur. Et, prout illæ hepar ac totum illud venosum genus, quod à venâ cavâ oritur, sanguinâ liberant, ita hæ mesenterium & hypochondrium sinistrum repurgant. Neque difficile exinde est diligenti & attento Medico, à quibus quolibet tempore fluxus prodeat, discernere, aut, cum miscella ambarum extiterit, id deprehendere. Notandum tamen ab illis rariùs, ab his frequentiùs fluxum provenire, & fieri quandoque, ut melioribus minusq; crassis esculentis ac poculentis utens quispiam etiam ex hæmorrhoidibus internis laudabilem profundat sanguinem, similiter ut, qui diuturnis epatis obstructionibus & gravi aliquâ febre afflicitus fuit, crassorem ex hæmorrhoidibus externis emitat. Quare non uni sanguinis colori aut puritati à Medico de fluxionis origine pronunciatur fendum, sed & alia consideranda ac conferenda.

XV. *In anum desinentes* cum additur, ab eo sanguinis fluxu, quem è venis in locos muliebres desinentibus nonnunquam prodeunt, attamen & partis è quâ, & vasorum per quæ, & formæ sub quâ prodit ratione à mensibus differentem, aliqui *ut Paulus Ägineta l. 3. c. 75. l. 6. c. 71. Aëtius tetrab. 4. serm. 4. c. 97. Celsus l. 6. c. 18.* etiam hæmorrhoidalem appellant, fit distinctio. Non enim sufficit ad propriè dictum hæmorrhoidum fluxum, de quo nobis sermo, per venæ cavæ propaginem Hypogastricam sanguinem ferri, sed requiritur etiam efferri eundem per anum. Ani autem appellatione intelligitur nobis intestini recti pars inferior, quæ à musculo in orbem circumfuso σφιγγίᾳ h. e. constringitur : (quapropter & hic sphincter appellatus :) Et in illam atq;
 sphincter hunc

hunc terminantur rami tūm venæ cavæ tum venæ portæ jam dicti. In illam quidem, sc : intestini recti partem inferiorem & interiorem hæmorrhoides internæ soboles venæ portæ , in hunc ac cutim huic obnatam rugosam laxioremq; hæmorrhoides externæ soboles venæ cavæ.

XVI. *Reseratos* insuper adjicitur, ut fluxum hunc naturalem non per Diapedesin, neque per Diæresin, sed per Anastomosin fieri constet. Quemadmodum enim inepta huic existit Diapedesis, quod seri potius, quam sanguinis, excernendi species sit, 3. de Sympt. caus. 2. Ita violentus & præternaturalis modus est Diæresis (sub quâ Diabrosis s. M.M.2.) adeoq; huc non quadrat. *Vide* 6. Aph. 12. item Aëtium tetrab. 4. serm. 2. c. 5. qui inquit esse velut dilatationem localem in sede, vasis quibusdam istic apertis & progressu temporis callosioribus factis.

XVII. *Citra admisionem facum alvi* discriminem facit inter hunc fluxum & primam Dysenteriæ impropriè dictæ differentiam, quam Græci αἱμαλησία, Latini cruentam vocant, quæq; oscitanter rem considerantibus imponere potest, ut pro hæmorrhoidum fluxu habeatur. In hac enim excrementis mixtus ab intestinis prodit sanguis, per ora venarum, non in ano, sed in intestinorum anfractibus aut ad initium recti intestini longè ab ano, aperta profluens 1. de artic. com. 4. t. 40. 5. Aph. 65. 3. defac. nat. 13.

XVIII. *Statis periodis* hunc fluxum contingere & ægrorum & medicorum observatio accurata docuit. Servat namq; si diligenter animadvertis, suos circuitus, &, omnibus secundùm naturæ leges peractis, nec anticipat, nec postponit. Caussa periodorum seu circuituum horum statorum est ipsa natura, quæ sanguine, modò

A 4 puro,

puro, modò impuro, intra spaciū temporis definitum collecto, gravata, tandem ad excernendum hunc insurgit. Nihil enim in naturā temerè & indefinitè accidit, sed omnia sunt certis temporibus definita, & certa est humorum tum redundantia tum qualitas, quam illa perferre valet. Aliâ ne opprimatur aut pessundetur, abjectione ejus tempestivâ cavet. Est tamen non uniusmodi hic circuitus in omnibus, sed plurimis redit singulis mensibus, aliquibus quolibet sesquimense, nonnullis semestribus quibuslibet, aliis quotannis. Imò & quaternis vel septenis annis quibusdam.

XIX. *Salutariter* finem bonum innuit. Quod autem propter hunc, h. e. in columnis valetudinis caussâ & cum usu multo individui, in quo fit, fiat, quamplurimis in locis divinus ostendit Hippocrates, ut & hujus interpres Galenus, præsertim verò *l. 6. epid. com. 3. text. 37. item l. de humorib. com. 3. text. 26.* ubi ita scriptum: Habentes hæmorrhoides neque laterum dolore, neque pulmonis phlegmone, neque depascente ulcere, neq; furunculis, neque terminthis, pariter neque leprâ, neque vitiliginibus corripiuntur. Quemadmodum & *l. de V. S. advers. Erasistratum c. 5.* ubi sic inquit Galenus: Quibusunque pro consuetudine superflua per hæmorrhoides evanescantur, hi omnes vitam morbis minimè impeditam agunt. Ac confirmat hoc eventus suppressionis sinister. Si enim cohibeatur, in gravissimos morbos homines præcipitantur, à quibus tamen tuti immunesque fuere, quandiu secundùm naturam fluentes habueré hæmorrhoides. Vide eundem Gal. *l. de V. S. advers. Erasistratum c. 6. & 6. Aph. 12. 6. epid. comm. 5. text. 25. l. de humorib. comm. 3. t. 26. Actuarium libro medici 1. c. 20. Celsum l. 6. c. 18.* Specialia autem aliqua beneficia videantur *6. Aph. 11. 4. Aph. 25.*

Aph. 25. 6. Epid. comm. 6. text 8. Atq; hinc fortè factum,
ut à majoribus nostris Germanis hæmorrhoides venæ
aureæ dictæ fuerint.

XX. *Quibusdam hominibus*, non omnibus, hunc fluxum
à natura concedi tām certum est & facilis probationis,
quām certum est complurimos inveniri, qui ne qui-
dem nomen ejus audierint; multò minùs quid sit co-
gnoverint, aut eum in se ipsis experti sint: Vt ut ætatem
justam attigerint, vel etiam transegerint.

XXI. *Sanis* in differentiam fluxus hæmorrhoidum
naturalis & critici additur. Etsi enim tūm naturales
tūm criticæ excretiones naturæ expellētis robore con-
tingant 3. *de sympt. causs. 2.* Differunt tamen præsertim
in hoc, quod illæ sanis 1. *de sympt. diff. c. 6.* hæ ægris 1. *de*
dieb. descr. 1. 3. de cris. 7. 2. Aph. 13. & 23. accidunt.

XXII. *Calidore corporis habitu efficientem genera-*
tionis sanguinis illius, qui in hoc fluxu excernitur, sive
floridus & purus sit, sive obscurus & impurus, designa-
mus. Ab eodem enim calore valido, si temperatus aut
temperato proximior copia ac bonitas, si à tempera-
to remotior & *in avaris āmetēos*, vitiosa qualitas seu adu-
ftio sanguinis. 2. *de crisib. 12. 3. Progn. 28. in comm. 2. artis*
medic. 41.

XXIII. *In utroq; sexu* fluxum hunc reperiiri experien-
tia testatur. Rariūs tamen mulieribus, ob sexui illi ma-
gis peculiarem excretionem menstruam, accidit, & fe-
rè quandò plethora aut cacochymia tanta est, ut natu-
ra dupli emunctorio opus habeat, vel quandò menses
supprimuntur, unde eadem natura quod superfluum &
impurum est aliò, nempè ad hæmorrhoides, derivat.
Vid. 5. Aph. 33. in comm.

XXIII. *ut plurimum demum ætate declinante contingens*

propterea anneētitur, quòd, quamvis omnem ætatem
vexare queat, tamen reverà sit affectus proprius hujus,
quæ Græcis ὁρμασικὴ dicta ferè à quinto septenario
terminato incipiens ad septenarios duos sequentes ex-
tenditur. *Teste Gal. l. de humorib. com. 3. text. 26. item 3. Aph.*
30. & Celsi l. 2. c. 1.

XXV. Atq; hæc pro excussione seu explicatione de-
scriptionis adductæ. Quid ad Galeni loca repugnantia
respondi debeat, quid item Medico ad hunc fluxum
vocato incumbat, nunc porrò paucis subjiciendum.

XXVI. Galenus utrobiq; seipsum explicat in præce-
dentibus, dum magna ex parte profusionem sanguinis ge-
nere ipso præter naturam esse dictat. Haud itaq; se-
quentia ipsius verba adeò strictè accipienda, uti sonant,
sed amplianda per præcedentia & per loca alia ejusdem,
in quibus natura ipsa fluxum hunc moliri l. de consuet. c. 5.
vasorum sedis venas recludere l. de at. bil. c. 4. ad has partes
pellere 6. Aph. 21. in comm. & nigri fellis succum per has repur-
gare 6. Epid. com. 5. text. 25. dicitur. Præsertim verò per
caput ultimum libri de diff. sympt. quod supra th. 9. ad-
duximus. Et simile quid habetur 5. Aph. 33. in com. ubi
idem Galenus menstruis deficientibus solam, quæ fit
per nares, evacuationem innoxiam esse dicit, & tamen
mox etiam aliam aliquam evacuationem eo in casu sine
noxâ esse posse concedit. Nempe, opere in longo fas est
obrepere somnum, ut inquit Poëta.

XXVII. Medicus minister naturæ fluxum hunc hæ-
morrhoidum secundùm naturam, quandiu is secundùm
naturam se habuerit, sinet imò & coadjuvabit l. de V. S.
advers. Erasistratum c. 6. Non cohibebit, non urgebit, ne
in alterutrum extremorum, quæ præter naturam & pe-
riculosa (4. Aph. 25. 2. defac. nat. 8. 4. de pres. expuls. c. 9.)
fidei

fidei suæ commissum præcipitet, adeoq; sex rerum non naturalium vocatarum usum prudenter moderabitur.

XXVIII. Et Aëre quidem uti jubebit temperato, ne hic nimiùm calidus fluidiorem justo, frigidus torpidiorem reddat sanguinem. Cibum præscribet nec lentum nec acrem valdè, præsertim verò non nimiùm salita, non nimiùm aromatib. condita. Potum nec nimis crassum, nec nimis penetrantem. Motum & quietem modestè alternantes. Somnum moderatum & nocturnum. Vigilias diurnas & non ultra debitum protensas. Alvum jure pingui, decocto brassicæ, prunorum & similibus leniet. Interdicet repletionem, maximè quæ sit à variis. Reget animi affectus.

XXIX. E præsidiis Chirurgicis quandoq; sectionem venæ in poplite aut malleolo, item scarificationem crurum, imò & hirudines, ut sanguinem in superioribus cunctantem ad inferiora feliciùs promoveat, assumet.

XXX. E pharmaciâ, quæ sanguinem, cum fæculentior est, fundant & attenuent, quæq; facultatem expultricem, cum languidior est, exciteant & roborent, ut & quæ vias strictiores emollient ac dilatent, depromet. Itaq; ab extra modò fotum, modò infessum, modò evaporationem per infundibulum &c. è decocto Rad. lil. albor. cæpar. Fol. malvæ, altheæ, parietar. mercurial. matricar. Sem. lini, fœnugræci, Flor. chamæmeli, meliloti, verbasci, & similiūm : modò linimentum ex ol. lil. alb. ol. sem. lini, ol. flor. verbasc. ol. nucleor. & flor. perfic. ol. irino & amaracino ac talibus aliis parabit. Ab intra verò aloëtica, ut hieram picram, pilulas alephan- ginas, pestilentiales, de aloë rosatâ & similes, non tam alvi movendæ, quàm venarum melius aperiendarum ergò, item extractum calami aromatici, mithridatium & the-

& theriacam sed vetera, vino, aq. fumar. lupul. verbasci
aliisve similibus dissoluta, exhibebit. Verum omnia
summâ cum circumspectione & cautelâ, ne dum fluxum
hunc utilem secundùm naturam se habentem juvare
studet, ægrum perducat ad eum, qui præter naturam &
gravissimus esse solet. De quo ut hoc in loco aliquid
addamus nostri instituti ratio non patitur.

PROBLEMATA.

- I. Sintne hirudines tutius haemorrhoidum aperiendarum
instrumentum quam ferrum? A.
- II. Sitne insanie solutio, de quaç. Aph. 21. per haemorrhoi-
des melior & securior, quam per varices? A.
- III. Sintne, quod recentiorum quibusdam, uti Columbo l. 7.
dere anatom. sub finem, & Hollerio in scholiis c. 51.
l. 1. de morb. internis, placuit, etiam arteria haemor-
rhoides, quemadmodum vena? N.
- IV. Sitne per voculam ὕδωρ apud Hippocratem libello de
semine & libro 4. de morbis intelligendus succus me-
lancholicus? A.
- V. Sitne tempus florentium roscarum cum vulgo pro com-
modissimo plethorae per venæ sectionem annuatim
minuenda tempore habendum? N.
- VI. Sintne interdum medicamenta vacuantia miscenda ci-
bis? A.

FINIS.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

10. Nov. 19

SLUB DRESDEN



3 0346525

